DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE EPISTAXI QUAM MEDICINÆ...

Luigi Schenk

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
EPISTAXI

QUAM

AD MEDICINÆ DOCTORIS LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS SCHENK

TYROLENSIS BULSANENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

PATRI OPTIMO

IN

PIETATIS ATQUE GRATITUDINIS

SIGNUM

GRATISSIMUS FILIUS.

I. DEFINITIO.

Cruoris ex vasis nasi internis effusio epistaxis vocatur.

Synonyma.

Rhinorrhagia sanguinea a graeco ῥίν, nasus. Haemorrhagia; veteres enim, quin locum designarent, haemorrhagiae sub nomine illam, quae ex naribus contingit, intelligebant. Germ. Nasenbluten. Ital. Emorragia nasale, Epistassi.

Angiologia narium.

Pars corporis humani nulla est, cujus vasa, sub tenera imprimis aetate, sanguinem tam facile, quam nares internae, dimittant, ac simul tam cite, sine vitii vestigio claudantur. Hinc nullibi tam frequens, quam hac ex particula, cruoris est profluvium, ita ut suo loco hic esse credamus, angiologiam, quatenus huc spectat, ad memoriam

842

revocare. Copiosis admodum nec multum anteriore superficie custoditis, posterius vero cum ossibus atque cum cartilaginibus fortiter connexis, vasis irrigantur narium antra, quae vasa originem habent ea arteria spheno-palatina tum anteriore tum posteriore, ex palatina, ex infraorbitali, ex dentali superiore et posteriore, et, quod practicorum attentionem magis meretur, ex arteria ethmoidali tum anteriore tum posteriore; quae vero in venas correspondentes deplentur, et quidem per venas spheno-palatinas, quae conducunt sanguinem in unum ex ramis jugularis externae, et per venas ethimoidales anteriorem et posteriorem, ac nasalem, quarum sanguis in truncum venae ophthalmicae, et ex hoc in sinum cavernosum cerebri ducitur.

Supervacaneum esse censemus, animadvertere: arterias narium ea carotide tum externa tum interna oriri, venasque susceptum ex istis cruorem partim jugularibus externis, partim vero, per conspicuos cerebri sinus, internis advehere, ex quibus subclavias in venas confluit.

II. SYMPTOMATA.

a) Podroma. Epistaxis haud raro nullo praevio symptomate contingit, in multis tamen profluvium istud annunciatur vertigine, somnolentia, stupore, pavore sub somno, rubore caloreque genae vel auris unius, dolore capitis, splendore, caligine, lacrimatione oculorum, arteriarum ad tem-

pora et collum intensiore pulsatione, aurium tinnitu, susurru, surditate, plenitudinis, tensionis, siccitatis, caloris, pruritus, titillationis ad nares sensatione, pulsu pleno, undoso, bis digitum feriente, seu dicroto, quandoque in uno tantum brachio caprizante, anxietatibus tandem repentinis.

b) Constitutiva. Sanguis e naribus nunc guttatim, nunc placido satis rivulo, utroque in casu per unum plerumque narium foramen stillat; si vero torrentis instar, non solum per utrumque nasi ostium, sed aliquando per oris antrum praecipitat. Quanta in copia id fieri possit, auctores varii ab indole haemorrhagiae ipsius deducunt, quae interdum ad multas libras, non exiguo cum vitae periculo, quam ipsam ad mortem aliquando fluere continuat. Quoad qualitatem, excepta consistentia seu majori, seu minori, sanguinem per epistaxim largitum semper normalem inveniri satis notum est. Non raro autem sanguis longum rubrumque in polypum, qui ex nasu super labia pendet, densatur; quo vel ob stimulum molestum protracto, vel coacta sternutatione expulso, uberior mox unda sequitur.

III. CAUSAE.

a) Praedisponentes. Ad epistaxim praedisponunt pueritia, imprimis ea, quae alacri ingenio et corporis textura minus firma sed sensibili et florida instructa est; uterque sexus ante pubertatis epocham, minori tamen immaturis in puellis,

844

quam in pueris frequentia; dein ad epocam involutionis, praecipue sexus feminilis; porro vitium hereditarium, scrofula, ignota annua constitutio, tempus vernale, praecipue si temperatura justo calidior rapide hiemem rigidam sequatur.

b) Excitantes, sive externae sive internae. Externae scilicet illae, quae naribus vim inferunt; contusio, percussio, vulnus, polyporum et vibrissarum avulsio, ossium nasalium et cranii fractura, vel illius circa sinum falciformem depressio, ozaena, caries, acria, pulvis herbae nicotianae, rebus suspectis irritantibus commixtus, fumi, vapores stimulantes naribus attracti, insecta et vermes, imprimis hirudo iisdem advecta, sternutatio violenta; dein solis ardentes radii, in caput nudum aut pileis metallicis obtectum agentes, ignis vicini actio in faciem, odores fortiores aromatici, rosae etc.

Internae: suspiria longa, diuturna vociferatio, clamor, cantus, tubarum inflatio, cursus velox, tussis, tubercula pulmonum, vitia cordis, aortae, venarum jugularium et subclaviarum, obstructio et inflammatio viscerum abdominalium, maxime lienis et hepatis, uterus gravidus, imminens menstruorum periodus, illorum haemorrhoidumque suppressio, potus liquorum spirituosorum, pharmaca calefacientia, abusus cinchonae, animi pathemata, ut verecundia, terror, ira, vigiliae et studia protracta, contagia, potissimum illud typhi, morbillorum et variolarum, saburrae primarum viarum, vermes, bilis, diathesis scorbutica etc.

c) Causa proxima. Num arteriae, num venae

cruorem in epistaxi fundant, arduum est dicere; videtur vero pro re nata unum et alterum contingere. Sic causae traumaticae tum arteriis tum venis infensae esse possunt. Potus liquorum spirituosorum ac fermentatorum, insolatio, cursus velox aliaque impetum sanguinis excitantia epistaxim arteriosam gignere videntur. Enim vero narium arteriis proprium est, ut facillime inter omnes corporis humani arteriolas aperiantur et sanguinem dimittant. Quonam ex trunco arterioso veniat is sanguis, quem nares amittunt, diversa est auctorum explicatio; ex supremis et plerumque anterioribus eum descendere probabile sit; ideoque ex arteriae ophthalmicae ramis et ex ethmoidea anteriore. Epistaxeos originem venosam admittimus si ipsa vel ex vitio haemorrhoidali et scorbutico, vel ex obstaculis reditum sanguinis e capite impedientibus pullulat. Quo pacto id contingat sequentibus verbis clarissimus exposuit P. Frank: «Thoracis certe cava a pulmonibus, quos continent, replentur. Hujus visceris lobus superior uterque claviculae, per cujus inferiora subclavia decurrit, respondet illique aptatur. Quotiescumque hinc diaphragmatis descensus, ab unius hypochondrii tumore, impeditur, nec pulmo per aërem susceptum dilatari hic potest, oportet, ut portio hujus visceris superior tunc suppleat, magisque expansa in plenis inspirationibus, alternatim in memoratam subclaviam insurgat, eamque nunc comprimat, nunc iterum relaxet. Sed cum jugulares externae, internae non minus venae, quam axillares, quarum ra-

dices sunt brachiorum et scapularum venae, in subclavias exonerari compertum sit: sequitur, ut in illis, redeunte ad istas compressione, sanguis remoram patiatur, et affluenti ex arteriis contiguis cruori resistat. Hinc brachii, ex latere affecto, arteria, si compressio subclaviae ex tempore contingit, quo haec ipsa est in systole, subsaltat, ac venae jugularis rami, per genam nasique cavum hujus lateris dispersi, turgent; rubet illa caletque; in hoc vero, pruritus, tensio, ac repetita frequentius et in horas diesque hac venarum resistentia, sanguis correspondente ex nasi foramine distillat, ruitque sincerus. Eadem hinc inde succedunt, ubi ex pure, vel ex aquis thoracis in cavo collectis, vel ex quavis in abdomine majore obstructione, pulmo ex uno modo latere dilatari per vices aut interrupte impeditur. Compressio subclaviae magis constans ac longior vel in brachii ex latere affecto arteria, pulsationes vibrantes, vel certum hoc in artu torporem, vel ejusdem, aut externi thoracis oedema inducit. »

Et vasa lymphatica eorumque glandulae in epistaxi excitanda sibi partem vindicare non dubitandum est. Creberrime saltem haemorrhagiae narium in scrofulosis obveniunt, quod ex vi, quam glandulae tumidae in propinquas venas exercent, intelligitur. Nullibi compressio hujus generis magis ad epistaxim provocandam contribuit, quam in hominibus, quorum pulmones tuberculis repleti sunt.

IV. DIAGNOSIS.

Notum est; nares interdum sanguinem ex pulmonibus vi espressum, vel ex ventriculo cum impetu ruentem, recipere atque per ostia sua expellere, quin ideo profluvium hoc epistaxim vocamus. Sic non opus est, cruorem externa per narium ostia effluere; sed sanguis haud raro, supino in homine ad pharyngem praecipitat, ac profundo sub somno, ab infantibus potissimum, salivae ad instar, in stomachum defertur. Quare nec omnis cruor, qui e naribus manat, epistaxim constituit, nec ad epistaxim constituendam, ut cruor e naribus manet requiritur.

Secundum celeberrimum Frank epistaxis dividitur in traumaticam, consensualem, inflammatoriam, rheumaticam, periodicam, scorbuticam et nerveam.

1. Traumatica a violentiis externis, a rebus nares mechanice et chemice laedentibus, ortum ducit. Sciendum, dari homines, qui adeo ad epistaxim praedispositi sunt, ut sub minimo narium attactu sanguis illico prorumpat.

2. Consensualis cognoscitur, si in aegro haemorrhagiam narium patiente, probe inquiramus, an nullum cerebri, colli, pectoris, abdominis et pelvis vitium, ex quo haemorrhagia illa repeti potest, reconditum latet. Vitia enim hujuscemodi nec dum clare evoluta, a medico, totam attentionem narium haemorrhagiae, utpote quae maxime in sensus cadit, consecrante facile praetervidentur.

Cum symptomata, quorum ope morbi viscerum reconditi dignoscuntur, hic meminisse sufficiat, medicum in arduo hoc diagnoseos opere nil securius ducere, quam respectus aetatis aegri, conditionis pulsuum naricis sanguinem manantis, et morborum quondam perpessorum. Quoad aetatem constat, epistaxim consensualem maxime urgere in infantibus ex vitiis cerebri, lienis nec non ex vermibus, in juvenibus ex tuberculis pulmonum, congestionibus cerebralibus, in viris feminisque intra quadra — et quinquegesimum annum constitutis, ex vitiis cordis et aortae, atque in senibus, instar infantum, ex encephalo. Pulsus in epistaxi ex vitio cerebri saepe lentus, e vitio pulmonis ut plurimum frequens, e vitio viscerum abdominalium quam maxime dicrotus. Inter morbos praegressos, maxime cephalaeae, apoplexiae, catarrhi, haemoptoseos, febris intermittentis et icteri ratio habenda est. Manare solet sanguis in cerebri vitiis ex utrisque naribus indistincte, in vitiis pulmonum saepius ex nare sinistra, utpote pulmone prae alio saepius a tuberculis obsesso; ex eadem narice in morbis cordis et lienis; ex dextra in affectionibus hepatis.

3. Inflammatoria sub febrium inflammatoriarum, rheumaticarum et exanthematum benignorum curriculo, porro in juvenibus floridis, laute nutritis, item in viris haemorrhoidibus obnoxiis, in virginibus et feminis menstruis orbatis ceterumque non exhaustis, quam maxime tempore vernali contingere solet. Cruore etiam largo flu-

mine fluente, non solum reliqua symptomata, si quae adsint, non augentur, sed imo evanescunt.

4. Rheumatica plerumque ut cephalaeae et coryzae socia obvenit. Observatur constitutione annua, morbis rheumaticis generatim favente, imprimis a capitis refrigerio. Non aliena ea est a complicatione arthritica.

5. Gastrica in febribus gastricis et in exanthematibus cum complicatione biliosa aut verminosa occurrit. Ut plurimum paucae hic cruoris guttae e naribus prurientibus stillant et quidem vix cum levamine.

6. Periodica. Est ea nunc febris intermittentis symptoma, nunc morbus absque omni febre periodice recurrens. Ibi epistaxis febris intermittentis vel evidentis vel larvatae sistit symptoma. In evidenti plerumque stadii caloris comes fieri solet. Febris intermittens larvata epistaxica, immerito in dubium vocata, saepe quid scorbutici exhibet. Epistaxis simpliciter periodica quandoque per plures annos viget, plerumque menstruorum nuntius aut comes est vel vices agit, et vix pro peculiari morbi specie haberi debet.

7. Scorbutica inter omnes maxima. Diagnosis illius eo difficilior, cum haemorrhagia narium saepe primum sese manifestantis scorbuti signum sit. Interea vix bis terve libris plurimis cruoris amissis, jam maculae ad extremitates plerumque inferiores comparent morbique indolem patefaciunt. Quamobrem ne unquam in gravi epistaxi harum partium autopsia negligatur, commendandum est.

8. **Nervea in febribus et exanthematibus indolis** typhoideae commune sistit symptoma. Socias ea agnoscere solet et aliarum partium haemorrhagias, quas tam plerumque sanguinis jactura superat. Praeterea ex nervorum in vasa sanguinea imperio, narium haemorrhagiam nasci posse, vis animi pathematum, imaginationis, in epistaxi excitanda, demonstrat.

V. PROGNOSIS.

Epistaxis, pro varia indole morborum, quorum symptoma sistit, pro vario tempore, quo in conspectum venit, ac pro varia profluvii copia, variam habet significationem. Haud secus per se ut morbus obvenit.

In morbis acutis sanguinis e naribus eruptio pro bona habetur, si post coctionis signa oritur, si larga est et aliquantulum continuat, si absque majori debilitate contingat et morbi formae, aegri anteactae vitae ac loco affecto consentit. Critica autem dicitur si omnem morbum tollit; contraria mala, imprimis stillae cruoris timidae, praesagiunt, enim si simul exiguae sunt, fatum instans aut saltem morbi diuturnitatem. Generatim epistaxis in febribus typhoideis, complicatione inflammatoria expertibus, in exanthematibus sic dictis malignis, in variolis, morbillis praecipue, dein in scorbuto, hydrope, tabe timenda; et saepe saepius omnis curationis spes cum sanguine per nares aufugit.

E contrario epistaxis morbus per se, si indolis inflammatoriae, plerumque salutaris est. Hinc non mirandum, illius suppressionem tantorum malorum originem esse. In aetate juvenili praesertim, cruor e naribus modice manans humorum ad caput congestiones mirifice tollit; sed ex altera parte constat, quod ii, qui aequo frequentius et ex causis exiguis e naso cruorem profundunt, facillime in pneumorrhagiam et epilepsiam incidant. Epistaxis, latente vitio cordis, vel alio circuitus sanguinis obstaculo, dummodo larga, levamen pro tempore adfert, si autem repetitis vicibus accidit, cachexia et mors sequi solet. In senibus profluvio huic minus assuetis, apoplexiae hoc idem aliquando est prodromus. Repentini etiam per epistaxim interitus visa sunt exempla, quae scorbuto et maxime morbo maculoso haemorrhagico Werlhoffii adscribenda sunt.

VI. CURA.

Primum ac praecipuum curandi hujus morbi momentum, in recto, num sisti cruor debeat, judicio est positum. — Epistaxim cohibere non licet, si critica fuerit, si in morbo inflammatorio, aut in alio quocumque, modice et cum levamine adpareat, aut si gravioris haemorrhagiae vices agat.

Ceterum epistaxis pro varia sua indole diversam exposcit curam.

Epistaxim ex fonte inflammatorio scaturientem, jam limites excedentem, regimine antiphlogistico,

aggredimur, in primis temperatura frigidiuscula, obscuritate cubiculi, potu cum succo acidorum vegetabilium, clystere emolliente et pediluvio tepido, simul cum magna corporis ac mentis quiete et majori ne loquendo, sternutando vel tussiendo nares irritentur cautela. Si hoc quod indicavimus regimen non sufficiat, sine mora ad venae sectionem deveniendum est. Paucae enim, quae hic educuntur, cruoris unciae, librarum plurimarum sanguinis e naribus jacturam praepediunt. Interne simul emulsiones nitratae, et si alvus seguiter deponeretur, leniter purgantia exhibentur. Corde et carotidibus vehementer pulsantibus, infusum foliorum digitalis purpureae commendatur. Exhausto jam aegro, elixirium acidum Halleri. Quodsi narium profluvio cruento retentio menstruorum vel haemorrhoidum locum dederit, causa hujus retentionis abigenda et interea artificialis haemorrhagia hirudinum ope circa perinaeum et anum excitanda.

Epistaxis traumatica ex laesionibus conspicuis narium ad forum chirurgicum spectat.

Quamvis cura epistaxeos consensualis ab illa morbi primarii plane pendeat, itaque hic exponi nequeat; tamen praecepta nonnulla generalia, quatenus ad curam insultus haemorrhagici spectant, hic enumerare possumus. Sic in epistaxi ex vitio encephali proveniente, pro varia illius indole, auxilia varii sunt generis: e. g. utimur phlebotomia, cucurbitulis vel siccis, vel scarificantibus ad occiput, cervicem, inter scapulas; pediluviis acribus, sinapi-

smis, purgantibus ex radice convolvuli jalappae et bitartrate potassae, aut calomelane; nec non adplicatione epithematum frigidorum vel ad capitis varia loca vel ad partes cum eo consentientes e. gr. ad genitalia. Compressionem arteriae carotidis e latere narici cruorem fundenti respondente, sic ut alibi et hic proponimus, sed cavendum est, ne vena jugularis compressionis particeps fiat. Fasciae ad manus et pedes jam dudum commendatae sunt. Ad humores a naribus oris cavum revellendos, masticatio chartae griseae suadetur. Epistaxi, tubercula pulmonis pro causa agnoscenti, prosunt sanguinis ad uncias nonnullas depletio e brachio narici affectae correspondente, silentium, quies corporis, emulsio nitrata et pediluvium tepidum. Ad recidivas praepediendas, cura primi stadii phthiseos tuberculosae hic locum habet. Scrofularum non solum pulmonis, sed et colli, quatenus cruoris per venas jugulares reditum impediunt, summa ratio habenda. Ad hoc, praeter muriatem calcis, quam maxime digitalis purpureae folia commendantur, quorum infusum saturatum in epistaxi ex vitiis cordis maximi momenti est. Accedit usus elixirii acidi Halleri, quod tamen pharmacum nunquam conducit, si affectio cordis originem abdominalem agnoscat, aut saltem cum ea cohaereat. Nam in epistaxi originis abdominalis potius eccoprotica, imprimis sales medii, aliaque resolventia adhibenda, atque venter tepide fovendus et clysteribus subcalidis evacuandus.

Epistaxi rheumaticae et arthriticae auxilia revellentia ut balnea pedis acria, sinapismi internae crurum faciei admoti et imprimis vesicatoria inter scapulas occurrunt.

Febre intermittente sub larva epistaxeos comparente auxilium in cortice chinae quaerendum. Ceterum non ignorandum, epistaxim in febribus intermittentibus, saepe lienis tumori, aliquando praepostero corticis usui ortum debenti, adscribendam esse. Quo in casu tinctura rhei aquosa cum elixirio Mynsichti multum praestat.

In epistaxi scorbutica indicatur quidem methodus antiscorbutica, at plerumque nimis lente agit, quam ut symptomati tam praecipiti debitum injicere possit frenum. Qua de causa saepe haemorrhagia auxiliis externis, mox indicandis, primum cohibenda, et dein sensim sensimque fortiora subsidia antiscorbutica in usum ducenda sunt. Inter haec imprimis, si febris vigeat, acidum tartaricum, maxime se adprobavit. Absente febre et viscerum abdominalium obstructione, indicantur acidum phosphoricum, sulphuricum, elix. acid. Halleri. Si autem, cohibita epistaxi per auxilia externa, sopor aut aliud indicium cerebri affectionis in conspicuum veniret, videndum foret, utrum, concessa quadam libertate epistaxi, gravia illa symptomata mitigentur nec ne Si mitigarentur, inter duo mala minus eligendum, et epistaxis non plane sistenda ne haemorrhagiae encephali locus concedatur.

Nisi symptomata nervosa haemorrhagiam na-

rium comitantia extravasato cruento pulpam nerveam encephali, specus vertebralis et nervorum specialium laedenti originem debeant, illa symptomata remediis sic dictis antispasmodicis compescere licet. Ubi autem spasticae stricturae in haemorrhagia narium adsunt, opium, camphora, et liquor anodynus Hoffmanni commendantur.

Auxilia mechanica.

Priusquam de auxiliis mechanicis et localibus epistaxeos sermonem instituamus, in omni epistaxi trunci et capitis erecta positio, nec non quies, scilicet ne loquendo, sternutando, tussiendo, contractando nares, pars affecta irritetur, summi momenti est. Ad cohibendum autem sanguinem e naribus fluentem varia adhiberi solent. Spectant huc praeter glaciem, nivem, aquam frigidam aut sale aut aceto ac muriate ammoniae remixtam, calvariae, fronti, naso genisque impositam saepiusque renovandam, attractio vel injectio in nares alcoholis puri. Cum vero quae liquida sub forma in nares inflantur, attrahuntur, injiciuntur, saepe citius quam agere ut possint, has deserant; hinc et fili ex linteis carpti, solutione aluminis, sulphatis zinci aut aqua vulneraria Thedeni, imbuti, vel turundae, quibus pulvis ex alumine, ac sanguine sic dicto draconis, vel ex aliis similibus, albumine ovi susceptis, adhaereant, cavo narium profundius immittendae, ac longo satis tempore, filo, quo extrahi possint, munitae, in eodem

relinquendae sunt. Ipsa interim turundae in vasa narium compressio aliquando hic magis, quam involvens illas stipticum remedium egisse videtur; ac interdum, cum istud, molliori turunda susceptum, nil posset, haec sola modo crassior magisque contorta profluvium suppressit. At vero nec ista interdum subsidia, cruorem, ex narium anfractu, quo turundae pertingere non queunt, ruentem coercent. Quodsi tunc narium anteriora penitus obturentur foramina, sanguis cum impetu majori ad fauces, posteriores per narium aditus, descendit. Hinc alia a chirurgis adhibita fuerunt, nec a medico arduis in casibus ignoranda subsidia. Tubulus enim incurvatus (per quem chorda ex intestino animali parata, vel filum cera oblinitum ducitur) per naris foramen sanguinem fundens tenditur, donec versus portaverit chordam aut filum, quae dein cum instrumento ad fauces arripitur, et ex ore protrahitur. Postea per alterum etiam foramen naris eadem operatio suscipitur. His ita praestitis, extremo ex naribus super labrum propendenti duplici, alligatur plumaceolus, vel linteum carptum, paulo densius contortum atque sat magno volumine praeditum, ut nempe narium cavum posterius repleant, et aperturam posteriorem claudant, postquam per oris cavum propendentia fila attrahendo, plumaceolos in nares protraxerimus. Super quodvis foramen narium anterius nunc linteolum quadruplicatum ponitur, et filo, ex naribus propendente, ligatur et firmatur. Si perfecte sic claudatur apertura na-

rium, cessat omnis sanguinis fluxus. Tunc vero aegrotus per longam satis temporis moram in ea, quam injunximus, quiete perseveret, nec factum in naribus coagulum, quocunque demum modo, donec sponte separaretur removeat.

Cura suppressionis epistaxeos.

Suppressum forsan praepostere ex naribus profluvium cruentum, pro varia morbi exinde generati natura, variam medendi methodum sibi exposcit. Plerumque sanguinem ad nares revocare, fluxumque, imprimis si cerebri, oculorum inflammatio successerit, non omissis et aliis auxiliis, per illas restituere juvabit. Calidae aquae vapor per nares attractus, vel nasi lenior contractio aliquando hoc praestant. Qui nares internas cum errhinis stimulando, aut cum penna serratim incisa aut cum stylo stramineo fortius intrusis scarificando hunc fluxum revocare contendunt; hi saepe majorem, quam prudenter optare potuissent, sanguinis jacturam inducunt. Hirudines duae, externis narium foraminibus, quo magis hiant principio, appositae, indicationi plerumque satisfaciunt, ac sanguinem pro lubitu arcendi occasionem non tollunt.

Leges prophylacticae.

In individuis fortioribus, torosis, phlethoricis saepe congestionibus ad caput exagitatis, nec non in feminis amenorrhoea laborantibus conducunt,

ad dispositionem minuendam, victus tenuis, parum nutriens, vegetabilis, potus aquosus, motus frequens sed moderatus, pediluvia iterata et, urgente necessitate, etiam phlebotomiae minores. In subjectis debilibus, irritabilibus erethisticis, gracilibus, habitu phthisico vel scrofuloso donatis, diaeta et regimine, jam a primis vitae incunabulis, illis organis, quae labe contaminata sunt, tonus roburque impartiatur, et strenue pulmones respiciantur, ne, superveniente aetate juvenili, haemoptysis explicetur.

Si propria vasorum in cavo narium laxitas et debilitas praesto est, in epistaxim prona, lotiones nasi cum aqua frigida, ejus in nares susceptio nec non fomenta bis terve de die cum spiritu vini ad collum et cervicem.

In epistaxi aetatis provectioris, quae plerumque turbis organorum abdominalium provocatur, extremitates inferiores ab omni refrigerio defendantur, caput vero sit frigidiusculum, alvi excretio et omnium functionum harmonia expediatur, et si haemorrhoides sese adsociant, nequaquam in regulari decursu turbentur vel supprimantur.

Imminente jam jam epistaxi, quaelibet capitis intentio praepediatur, situs capitis de nocte humilis et depressus, nimia pulmonum exercitatio, onerum gestatio, angusta vestimenta et nimis calefacientia, nec non nimius in alvi depositione nisus omnisque irritatio interdicatur, qua impetus sanguinis ad encephalon promovetur.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Uti per sudores, urinam, alvum, sic per epistaxim crises perfectae contingunt.

II.

Omnis haemorrhagia passiva est dicenda, si vasa solummodo respiciuntur sanguinem fundentia.

III.

Epocha pubertatis atque involutionis praecipue ad epistaxim disponit.

IV.

Non datur limes strictus inter congestionem morbosam et inflammationem.

V.

Phlogosis nunquam est morbus primarius, sed effectus morbi ac reactionis organismi viventis.

VI.

Tubercula pulmonum in genere congestionem morbosam qua momentum causale agnoscunt.

VII.

Educatio infantum primis in annis magis ad corporis, quam ad animi evolutionem directa esse debet.

VIII.

In exanthematibus regulariter decurrentibus, regimen et diaeta congrua medicamina superflua reddunt.

IX.

Dentium cura bonam digestionem adjuvans.

X.

In scrofulis sol, aër et aqua plus praestant quam pharmaca.

XI.

Pharmacis, sine congrua diaeta, nullus sanatur aeger.

XII.

Salutarem ex aqua soterica effectum qui cupit, illam ex fonte ipse hauriat.